

_Lettera_N_1218

Al papa Pio IX

*Mirabelli, XII Kalendas Octobris annos MDCCC LXVIII 20 settembre 1868

Beatissime Pater,

Tamquam filius ad pedes patris provolutus, sic ego nomine etiam confratrum meorum, Te, Beatissime Pater, alloquor. Tu vero benevolentis animo, uti assoles, auscultare dignare.

Iam quintus annus agitur, ex qua, Beatissime Pater, humilem congregationem a Sancto Francisco Salesio dictam amplissimis verbis laudare atque commendare dignatus es ad instar congregationum, quae votis simplicibus continentur, dilata tamen ad opportunius tempus constitutionum adprobatione. Attentis tamen peculiaribus circumstantiis generalem superiorem ad vitam constituebas, licet eius successor tantum duodecim annos in officio suo esse deberet.

Dum autem hanc temporis opportunitatem in Domino expectamus, magnam clementiae tuae significationem postulare audemus, hoc est ut animi tui bonitate consideres:

1° Magnam difficultatem, imo pene dixerim, impossibilitatem educandi instruendique clericos adolescentes si certo quodam loco non colligantur. Nam si ad seminaria mittuntur, congregatio ista vel brevi dissolvitur vel unitatis spiritus et disciplinae penitus amittitur.

2° Formam huius congregationis, quae habet domorum communionem. Iamvero domus istae nequeunt consistere, si singuli Ordinarii vellent, uti possunt, et iam contigit, aut in sua seminaria, aut alio dioecesanos suos revocare.

3° Adprobationem dioecesanam Episcopi Casalensis. In hac enim dioecesi extat domus sub titulo: Piccolo Seminario di S. Carlo in Mirabello, ubi ducenti circiter adolescentuli latinis litteris et disciplinis ecclesiasticis dant operam. Ibidem domus sodalitia est constituta.

4° Literas supplicatorias multorum Antistitum, qui hanc congregationem commendant, definitivam adprobationem postulant.

5° In hanc religiosam societatem sodales accipi, qui ex dissitissimis regionibus profecti difficillime nascere possunt propriam Dioecesim eiusdemque episcopum.

Hisce et aliis animo tuo paterno perpensis, enixis precibus postulamus, ut facultatem iuvenes clericos in unum collectos edocendi, atque pro sacris ordinibus presentandi ad illum episcopum, apud quem unaquaeque domus existit, concedas ad decennium vel ad aliud tempus, quod melius in Domino iudicaveris.

Tu, Beatissime Pater, magnum caritatis tuae signum a nobis suppliciter expostulatum. Si tantum amoris pignus in hanc nascentem congregationem contuleris, ipsam solidabis, sociis animum addes, multorum pauperum adolescentulorum necessitatibus consulēs; et haec humilis congregatio, quae creatura tua, Beatissime Pater, appellari potest, a Te ipso suum firmum existendi modum accipiet ad maiorem Dei gloriam et bonum animarum. Interim omnes huius congregationis socii preces pro Tui ipsius conservatione ad Deum effundentes ad pedes Sanctitatis tuae provoluti tuam sanctam et Apostolicam benedictionem imploramus. Omnium nomine me profiteri audeo Sanctitatis tuae Humillimus, Addictissimus Filius et Famulus Sac. Joannes Bosco